SIRENIS LACRYMAE

EFFVSAE IN MONTIS VESEVI INCENDIO,

ET

Gratiarum actio pro recepto beneficio.

AVCTORE

D. IO. PETRO MASSARIO

V. I. D. Oratineñ. & Ciue Neap.



NEAPOLI,

Typis Aegidij Longhi M.DC.XXXII.

EXALTENT magni raptas impunè Sabinas
Herculeas clari curent extollere laudes
Carminibus vates; Hederà florente reponant,
Ac partus Alcmena tuos, odioque nouercæ
Difficiles, tandem solerte Galanthidis astu
Elusas artes magicas, nexumque solutum.
Ficta canant alij placidæ dulcedinis ore,
Atque Palæphatijs mendacia credita chartis:
Cygnum Leda tuum geminos enixa; puellam
Nauibus abductam Phrygijs, incendia belli,
Non nisi Pergameis tandem sedata ruinis.
Oedipodionio funestas sanguine Thebas.
Quas epulas infensa viro matrona pararit
Ismario, sæuasque manus maculasse parentem
Pignoris vnius rutilanti sanguine, dulces
Cum petit amplexus, ac matris ad oscula surgit
Et si quæ fuerit deterrima causa malorum;
Carmine lasciuos ad sydera tollat amores
Musa frequens hederis vatum, miscere perita
Candida puniceis, vario fœcunda colore
Luxuriem campi, Montis, truculentaque Regum
Bella, ferosque Duces, & fata immitia, quæque
Tollat humi famam chartis, æuoque perennet.
Ast ego surgentes tenebras, incendia, & vndas, Studium Auctoris in hoc opere.
Et cineres, validos commixta grandine nimbos,
Mox toto Boreas pugnantes æthere, & Euros,
Qui insonuere truces, agitantque insana furentes
Aequora, & immensis nigrat Neptumnus in ædes
Fluctibus, iratam tollens ad sydera spumam.
Vesseui flammas, consumptum à fulmine Bacchum,
Extinctas gentes, conuulsa radicibus imis
Arbuta, collapsam Cererem, floresque iacentes,

Ingentes Montis furias, summasque ruinas,
Quas trepidans vidit totum celebrata per Orbem
Inclyta Parthenope lacera sub imagine vultum
Humanum referens, venturi prescia Fati,
Et lacrymis perfusa genas, subijt aurea cœli
Limina, & Iratum non audet adire Tonantem,
Audentemque nouo terras iacularier igne,
Languida sed MARIAE sic pulsat Virginis aures.
VIRGO, decus cœli, terrarum gloria, Virgo,
Cuius ope, infandos ego sum persæpe dolores,
Et clades solata nouas; tu supplice vultu
Vrbs Neapolis nō audens adire Deum B.V. Mariæ auxilium orat. *Exaudi orantem, Humanæ spes certa salutis,*
Ad te confugio lacrymans, tua numina poscens,
Respice præsenti sæui contagia montis
Tempore perpessam fata asperiora manentem.
Deseris heu quare me in dura morte relictam?
Vesseui montis motus, summique fragores,
Innocuam Zephiri certant consumere gentem,
Et ciues spoliare meos, templa hospita Diuûm
Vertere, & insolitis confundere tecta ruinis?
Eripe me tantis Virgo intemerata periclis,
Virgo potens, Natique tui compesce furorem,
Et mihi tot mala, tot crudelia funera passæ,
Tantorum liceat finem spectare laborum.
Talibus orantem sic temperat inclyta Virgo.
Virgo opē suam pollicetur Vrbi Neapolis. *Casibus in tantis, te tanto in turbine rerum*
Sustineat patiens virtus; Nam infanda tuorum
Crimina Siderei mouerunt Principis iram;
Facta prius graui obiurgatione. *Ista repentinos Montis in tua damna tumultus*
Excitat, vltricem veterum experiere malorum.
Nam prauos mores, & plusquam ferrea cerno
Secula, iamque Deûm cœlestia templa reuisens,

Alma Themis longè vestris discessit ab oris.
Non est qui rectè se gerat, omnia praua.
Ergo iram differre vltra nequit ætheris Auctor,
Sæuiet, ac tantos precibus placare furores
Non poterunt casti pueri, castæque puellæ,
Si modo sunt casti pueri, castaque puellæ;
Nam simul in lucem veniunt, scelerata parentum
Exempla accipiunt, tenerisque imitantur ab annis.
Sed cum tu scelerum dignas expendere pœnas
Incipies, lacrymosa Deum placare memento
Supplicijs varijs, diuina potentia sanctis
Flectitur obsequijs; placabitur ira Tonantis.
Heu quia nam superum contemnitis inclyta dona?
Vosque, & cœli colis simul, & mortalibus ipsis
Redditis inuisos impuræ ob crimina vitæ?
O turpes quæso tandem deponite mores,
Ingluriemq; & auaritiam, Veneremque nefandam, Hortatio Virginis facta populo Neap.
Fœda alia vt sileam, quæ ne Dì cernere possent.
Amplius inque Deùm *mentis occluditis aures*
Aspidis in morem, vitæ sed pœnitet actę.
Sic dabitur populo mesto perferre labores
Horrendos, rerumque vices exantlare labentes.
Concidet hęc montis tempestas tempore paruo,
Ne dubita; ostendi fortunam aduersa minantem,
Quà possis superare viam; tu pone timorem,
Namque meum cernes tibi semper adesse fauorem.
Dixerat, *at superas mox deuolat illa per auras.*
Palluit in alto sol aureus; occulit ignes,
Et Conos cęca roseos caligine texit, Caligo fuit per terram circa solis ortum.
Tum ferrugineo faciem velauit amictu,
Abnegat & solidum lumen mortalibus, ipsi
Lumine defectum solem mirantur, & omni

Luce

Luce diem, populos agitauit fera propinquos
Nox, & flammiuomum montano e gurgite flumen
Fluxit, & hinc populi exhalantem vertice fumum
Vesseui inspiciunt, qui se montis ad instar

Exhalatio vaporis in iugo mõtis.

Turgebat, summum superare studebat Olympum,
Exhalare iugo piceos trepidante vapores,
Atque solum tremere, & tenues mouere fenestras.
Exangues remanent mortales, oraque pallent;
Et propè destituunt animæ iam corpora cara.
SIRENIS tremuere sinus, gelidusque cucurrit
Ima per ossa tremor, sunt facta & languida mẽbra,
Semisopita toris deturbant corpora matres,

Varia studia populi in hoc mutu.

Infantesque suos, distinctis vestibus, vlnis
Accipiunt, capiuntque fugam, trepidæque puellæ
Cum pauidis pueris linqunt sua tecta, senesque
Incurui, magnam currunt SIRENIS ad Vrbem
Ad notas aliæ versùs decurrere syluas,
Et pedibus nudis, inconcinnisque capillis;
Femineisque sonat fuscus vlulatibus aer.
Ast quibus est æui viridi iam corpore sanguis
Integer, & solido vires stant corpore, villas
Defendunt, rebusque suis succurrere tentant.
Sed timor excurrens trepidus per membra retardat
Incertos, suadetque fuga sibi ferre salutem,
Inde cadunt vasto in tremulam cum corpore terram
Horrisono sonitu montes, vallesque tremiscunt,
Tamquã flammigerum cęlum trahat omne ruinam,
Inque chaos remeare velint propè cuncta vetustum.
Olli suspiciens altum gens tristis Olympum
Nubificum, ardentes has mittit ad æthera voces.

Oratio populi facta Deo irato.

Heu quia nunc tanti consurrexere tumultus.
Quidue parat tellus? sublatus murmere Vesbius

Inge-

Ingeminat? rabie venti bacchantur atroci?
Quale refert portentum oculis, quæ funera portat
Vel cœlo metuenda dies? quæ numinis ira?
Ducis ad occasum mortales funeris instar
Omnipotens iam iamque sinu telluris humandos?
Incubuit ne tuus furor in nos totus, & omnes
Laxasti irarum ruptis compagibus ignes?
Quis globus ò nostræ vindex inuicte salutis,
Multiplicique minax acies certamine montis
Imminet? Insurgitque vorax in montibus ignis,
Terrificosque globos flammarum, & sulfuris vndas
Depluit, assiduis augens tormenta diebus,
Vesseuique iugo excusso nunc terruit vrbes
Prodigijs, fecitque datis incendia signis.
Quò diuersus abis, vultumque abscondis, & ægrum
Despicis adiutor, tumida cum mente ferocit
Vesbius? En Pater auxilium fers amplius vllum?
Miscentur cœli tenebris, caligine tellus
Horret; quo tuus auerso vultu vsque latebit
Numine, flagrabitque tuæ furor æstifer iræ?
Est hominum natura tibi num condita frustra?
Tantorum pietas operum quò pristina cessit?
Quo fidei promissa tuæ iurata prioris?
Ne mea difficili peccata redargue vultu,
Dum furor, atque tuæ deferbuit impetus iræ,
Sed perpende memor quis sim, quàm fluxa caduca
Sint vitæ momenta breuis? quis vescitur aura
Aetherea, cui sit vitæ mortalis adempta
Conditio? gelidique animas de margine busti
Quis possit seruare virum? Reminiscere nostrum,
Quãta premãt mala, quãta incendia Vesbius addat;

Nòxia

Noxia pro tenui pluuia dans ęthere saxa,
Quę populantur agros, & crebros sulfuris ignes.
Intereunt vineta, cadunt ficeta, nec arbor
Finibus his à strage suum defendere truncum
Ingenti valuit, ramosque tenere comantes.
Squammiger infectis exercitus interit vndis.
Omnibus in terris infestat corpora puluis,
Qui lętos segetum culmos, herbasque virentes
Vberibus rosit campis, nullusque superstes
Vltrices euasit aquas; Iuuenesque, senesque
Męrent, nam trepidant, reboant vallesq; profundę.
Alitibus iacent rapidis inhumata, ferisque
Viscera montanis hominum, qui sancta sequuti
Sunt legis praecepta tuae; collectaque tabo,
Flumina sulfureis circundant fluctibus oras
Euersas, desuntque manus, quas cura sepulchri
Tangat, & iniecta condat quae funera terra.
Florentes populo fatis velocibus annos
Eripis, infamesque notas aspergis eidem,
Et furor extenuat vitę compendia nostrę
Fluxa tuus, validęque tuę subuertimur irę
Turbine, dum nostros lustras examine lapsus.
Nostraque conspectu vigili delicta recenses.
Ecce perhorresco moti discrimina Vesbi,
Et metuo cęca tectam caligine terram,
Turgida dum tantos nunc excitat vnda fragores,
Percussaeque sonant horrendo murmure ripę,
Ignea dum strepitus extollunt flumina raucos,
Dum sic ęquoreę stridunt Aquilone procellę,
Detonat ac *cœlo* Dominus *fortissimus alto.*
Ingratos populos seruasti, vt nominis esset
Gloria nota tui, & dextrę vis nota potentis.

Pisces marini mortui in littore reperti.

Ipse

Ipse rubri fluctus maris obiurgauit, vt vndæ
Præbuerint faciles aditus, & peruia siccis
Aequora sint calcata vadis. Tùm gurgite vasto
Iuit arenosi cætus, ceu iugere campi,
Insidijsque viros hostilibus eruit vltor
Incolumes, tutosque truci feritate redemit.
Obiecto steterat lectus tunc pectore Moses,
Offensique grauem placarat Numinis iram.
Obuius obiecto FRANCISCVS pectora sistit, Eminentiss. Cardinalis Fran. Boncomp. quid fecerit in hoc montis motu.
Millia cui pauit Tibris conchilia, namque
Per loca nunc video rutilo splendescere in ostro,
Gloria BONCOMPAGNI adum, sacriq; Senatus
Missus ad imperium SIRENIS, iusta daturus
Iudicia, & dictis nos solaturus amicis.
Vir bonus, in terris nulli virtute secundus,
Sic iustus, clarus, doctus, cui recta voluntas
Omnigenos exosa dolos fuit, ipse Potentem
Mente Deum veritus, recti seruator, & æqui,
Iussa Patris Magni exequitur, fili protinus imo
Pectore consurgit pietas, & temperat iras.
Nunc etiam quamuis omnes exurere flammis
Iustitia admoneat, parcet tamen huius amore
Omnipotens, Neaplis miserari incommoda gentis
Constituet, nam FRANCISCVS sine crimine vitã
Duxit, & insigni pietate, & moribus ornat;
In quem conijcient vnum sua lumina cuncti,
Ac sibi proponent imitandum, & rite colendum;
Parthenopeq; suis purgabit sordibus aulam,
Mox etiam mores hominum formabit agrestes.
Hic postquam Petri solium conscenderit altum,
Componet primum fessam discordibus armis

Ausoniam miseram, iucunda ad fædera pacis:
Ipsos compellens Reges, dulcemque quietem
Per cunctam latè Europam regnare iubebit.
Iamque dies primos properabat lumine montes:
Spargere, & igniuomis efflabant naribus almam
Solis equi lucem, surgentes gurgite vasto.
Cũ BONCOMPAGNVS motos in monte fragores:
Audit in Octaui Turri, dum corpora curat
Aegra salutifero cœlo, iucundior alter
Vix terris floret, Cereri, Bromioque sacratus;
Tranquilloque situ felix, & murmure ponti,
Illustri à Zephiris, placidis auiumque querelis.
Exemplo famulos stratis surgere mandat.
Surgite, &ætherea quod mittit ex sede flagellum:
Omnipotens spectate omnes: Nam proximus ardet:
Vesseuus; summaque quatit vi rura, domosq;:
Surgite, namque opus est votis, precibusq; supremis:
Iratum placare Deum; & recitabimus hymnos.
Hoc opus est clypeo grandem reparare ruinam.
His dictis famuli subito torpore relicto,
Assurgunt, vigilis Pastoris iussa facessunt.
Et simul genibus flexis, tentisque lacertis:
Flent, orant, miscent querulis suspiria votis.
Præsidio, dicunt, Deus admirande, recumbit:
Spes innixa tuo, librata repelle potenti:
Tela manu, montis præsentem auerte furorem.
Talibus vnanimes onerabant æthera votis.
Olli Francisci torquebant corda remotæ.
Relictæ pecudes, metuitque pericula sæui.
Dæmonis, altæ vrbis celerare ad mœnia nocte:

Terræ motus orto sole fit.

Turris Octaui laudes.

Familia Cardin. Boncõpagni somno excitatur.

Desideriũ Card. erga Neapolim.

Optabat, loceet cunctas pietate sub alis,
Vt gallina fouet pullos, sua pignora cautè,
Ne rapiat, mactet stygiorum turba luporum.
Egreditur thalamis, & limina tendit ad vrbis,
Vectus equa incedit vestita tegmine claro
(Non aderant bigæ, currus Pilenta, iumenta, Card. discedit ab Turre Oct.
Vt Domini de more sequi vestigia possent)
Tunc Populi lamenta ferunt, lacrymisq; sequuntur,
In quos conuersus, prono est sic ore loquutus.
Egredior, quoniam pastoris ouilia vultum
Exoptant. gressum suadent sacra Numina, maius
Vrget opus, nostros sectari quærite passus.
Talibus affatus; male fausta excedere terra
Maturat, crebrius mons tunc vomit ore vaporem,
Flammarum globos; quatiuntur tecta tremores
Tùm vero magis, atque magis crebrescere voces
Incipiunt gentis, stygijs terroribus actæ.
Fama malum in maius sæuis rumoribus auget.
Vicini prudens properans ad littora ponti,
Tardantem puero conspexit remige cymbam,
Hac visa emotis celerat accedere palmis,
Ascendit, pelagum sultans, remoque secundo
Optata potitur terra, peruenit ad ædes,
Protinus, vt rerum Dominum veneremur ad aras,
Mandat, & exponi super alta altaria iussit Institutio 40. horarũ in æde sacra S. Ianuarij.
Sub Theusis, velis Christi venerabile corpus.
Oratu hinc nimium fretus (scit namque Polorum
Hoc opere inflecti Regem, deponere & iram)
Instituit morẽ, vt Christus theca circũdatus aurea,
A populis tota precibus cum mente petatur.
Attollantque Polo voces, & Numen adorent.

At tonitru sonat, & rapidis micat ignibus aer.
Audijt hæc prius olli BONCOMPAGNVS, Olympū
Propterea aspiciens, lacrymis, manibusque sup.nis
Ardentes imo misit has pectore voces.
Franc. Bomcompagni Card. oratio facta in Ecclesia. *Sūme Pater, cœlum qui, & terras numine torques,*
Quique creata manens stabilis das cuncta moueri,
Vertice Vesseuum spectas, quod depluit ignes
Largos, & rapidis commiscet fulgura nimbis
Ignea, qui multos homines, pecudesque peremit,
Prodigijs missis, vastas perterruit Vrbes,
Atque neci populos multos demisit acerbæ;
Exhalatque iugo piceos trepidante vapores.
Terra supercilio cœli tremefacta dehiscit.
Omnis ager plorat, quodcumque, & prodiga Vesbi
Pandit terra sinu, frondosaque bracchia syluæ.
Incessat trepidæ gentes formidinis horror,
Subuertit cum gente domum, vis abdita cuncta.
Commouet, & celsas ipsas de montibus ornos,
Alternans validum fremitum, iam fulmine quercus
Disijcit, atque suo dedit à fundamine motus
Terra; Poli insonuere simul, demugijt æther
Omnis, & ardentes immensæ fulguris Orbi
Illuxere faces, manarunt montibus amnes,
Auditusque fragor cœlo, rapidæque sagittæ
Fulminis aerios visæ penetrare meatus.
Auxilium omnipotens, oro, demitte supernum.
Cur Deus auerso nos deseris vsque repulsos
Lumine? Cur quas læta soles in pascua quondam
Ducere Pastor oues, iræ nunc feruidus æstu
Persequeris? Gregis electi, gentisque memento,
Quam propriam possessor habes ab origine primà,

Ser-

Seruet & humanam sobolem tua dextera sæuo
Ve sseuo, defende manu Protector eadem;
Hærentesque tuo lateri nos diuidet vnquam
A te nulla dies, tua nos à morte propinqua
Asseret in vitam pietas, nos vota perenni
In nomen concepta tuum geminabimus æuo.
Ne sæuo Populi peccata redargue vultu,
Dum furor, atque tuæ deferbuit impetus iræ
Magne Deus, *pœnæque minas in mollia differ*
Tempora Iudicij, populos commissa fatentes
Respice, nuncque tua pietate misertus anhelos,
Languentesque foue, & recrea, medicamq; benignus
Affer opem, vultusque tuos conuerte serenos,
Et tua vicino retrahat clementia busto
Hanc gentem, nomenque tuum colat illa superstes.
Nam quis te Patrem celebret post vltima cantu
Fata rogi? quis laudis honor Acheronte sub imo est?
Facta canent manuum num puluis, & vmbra tuarum,
Et fidei promissa tuæ vulgabit? at aurem
Pacatus da mihi facilem, & miserere precantis,
Nuncque Deus conuerte tuum mitissime vultum,
Neque sinas flammis vineta ardere, soloque
Sint succisa, tuæ radijs pietatis adorna,
Dexter ades Deus, & dextro nos lumine cerne,
Arceat à cunctis tua gentes dextera damnis.
His dictis. Omnes reuerenter Numen adorant
Immensum, æternum, & tollunt ad sydera palmas,
Thure calent, aræ conscendit ad æthera fumus,
Cinnama tum redolent, & quæ Panchaia diues.
Munera diuinos spirantia mittit odores,
Exhalant holocausta pijs ardentia flammis.

Turba

Turba Sacerdotum huic confert deuota facellum,
Sācti ubi IANVARII caput est, & sāguis in ollis
Seclusus vitreis; pellat de montibus ignes
Seclusos, poscat, simili seruauit ab igne
Sæpe Vrbem, & culpæ veniam concessit amicam.
Assiduò mutabant tecta suprema fragore,
Et miseris commota gemit de cardine linguis
Compago, & dubius fuscus micat ignibus æther.
Processio fit Cardin. iussu. *Consulit innumeris nostræ virtutibus Vrbi*
Purpureus Præsul FRANCISCVS pectore forti,
Imperat, vt bini cuncti Crucis alta sequantur
Signa trabi suspensa, & flexi vertice pergant,
Omnibus in morem tenui velamine flexu
Carbaseos crispata sinus; & libera cinctu
Poplite fusa tenus, ceris ardentibus ignes
Dextra gerat pariles, Sanctorum nomina narrent
Cunctorum, & Cœli Dominum pro gente precentur.
Voce Deum mæsta implorent, vt montibus ignes
Pellat, squallentes tenebris, & imagine lethi
Eruat insolitis ne agitet tot motibus Vrbem,
Nutantesque domos firmet, terramque cadentem;
Nocturnasque fuget tenebras, solemque reducat.
Vt nobis immensa dies det munera largus,
In populos solitum Dominus confirmet amorem.
Egreditur magno templo stipante senatu
In sortem lecto Domini Sanctissimus ostro
Indutus, sacra velatus tempora mitra.
Excell. Prorex sequitur Crucē cum Principus Senatoribusq. *Selecto EMANVEL sequitur virtute decorus*
Moribus illustris ZVNICVS, cui Regius est mōs,
Et nostri columen Regni, tutelaque fida;
Nam neque tam Iuuenem fortis dilexit Achilles

Pria-

Priamidæ cuius pectus iam pertulit hasta,
Nec tanto Pylades fuerat complexus Orestem,
Euryalumque suum nec tanto Nisus amore,
Nec Siculi fratres, ita se (nisi fallor) amarunt,
Nec tanto affectu se dilexere Lacones,
Pignora iam Ledæ, quæ nunc sunt sydera nautis,
Perythous tanto nec deflagrauit amore
Eius, qui filo Labyrinthi recta resoluit.
Quis referet, quanta est vsus pietate petentem,
Parthenopes, quanto ZVNICVS te iuuit amore,
Ad Vrbem gentem, miseris dum sola ruinis
Oppida deseruit, gazas, ædesq; patentes,
IOANNES hic [redacted] dabit fæcundæ munera terræ. [redacted] hic
ENRICVS mandat, miseretur iustus egenos,
Pocula sic Bacchi præberet prouidus Vrbis
ANTONIVS Lectus lautas ANGELICVS escas
Qui locuplete manu, & medica curauit egenos.

Io. Enriquez annonæ præfectus alit pauperes flāmis ereptos.

Hunc vita, & rerum Dominus super arua locabit;
Lumine respiciet Dominus, redimetq; vicesq;
Pensabit meritas discrimine tutus, vt æuum
Exigat, incolumisque bonis telluris abundet,
Arbitrioque sui vexandum haud deseret hostis,
Exanimumque toro, fractumque dolore iacentem
Fulciet adiutor Deus, & solabitur ægrum,
Mollia subijciens infirmis strata lacertis.

Antonius de Angelis Pop. Neap. Electus magno fuit egenis auxilio.

Vt veluti Alcides oneri successit Olympi,
Quod tremulo victus senio vix maximus Atlas
Rite suis tolerare humeris aliquando valebat;
Sic gemini Alcidę IOANNES, ANTONIVS ābo
Quod ZVNICVS grauius dorso iā sustinet Aetna
Forti animo, nulli succumbens mente labori,

Enriquez, & Antonius de Angelis sūt Alcidæ Proregi.

Vasto

Vasto succedunt oneri, auxiliumq; ferentes,
Altum per se animum ZVNICI Proregis adaugent
Hinc fit, vt adiutus moliri ingentia facta (stis
Audeat EMANVEL ZVNICVS, quæ psperafau
Omnia respondent votis, Rege auspice Cœli.
Nocte, dieque tecum vigilat, sua commoda spernẽs
Prorex animat populũ *Siue opus, aut pelagi foret, aut telluris agendum.*
Ergo animat populum montis feritate furentem
Per loca, perq; vias, anfractus Vrbis ad Aedes
Sacras, & Proceres ducit post terga micantes
E facibus, Comitesq; Ducesque, Gẽtemq; togatam,
Hastatas rubeas pressas è Marte Phalanges
Præmisit, nullo sæuæ commotus ab ictu
Fortunæ, & Fati doctus superare procellas;
Excellẽtiss. Eleonoræ Cusmanæ Proregis vxoris virtutes. *Et cum vxore sua ELEONORA inferre periclis*
CVSMANA, cœlique omnem tolerare ruinam.
Hæc licet alta toro sedeat, vallata ministris,
Regalemque domum pario de marmore structam,
Sublimemque colat miris, longisque columnis;
Tendentem palmas cælo, precibusque vacantem
Aspiciunt famuli, voluentem oracula Patrùm,
Cui licet ornato iam fulget Iaspide pectus
Distinctum, syrioue caput perfragat amomo;
Et comptæ cum lege comæ, cum murice vestis
Aurea dependet; CVSMANA pulcrius vnquam
Nulla patrum vidit, nec cernet serior ætas.
Quamuis Hyppomenes Atalanta exarserit aurea,
Alcides Iole, Briseide clarus Achilles,
Phryx Helene, Bacchus Minoide, Iuppiter Io,
Et formosa suæ sit visa Polyxena Troiæ;
Ista tamen Veneris lasciuę gaudia vitat,

Ac

Ac choreas, risusque leues, sed numine plena,
Castus amor, pietas, humilisque modestia cordi est,
Integra relligio, fides, reuerentia honesti,
Hinc visit gentes, quarum depascitur ægra,
Aut tenuat feruens, consumens corpora morbus
Pæonia, miserans curari præcipit arte;
Verbera non inopes spernit, non vulnera passos
Negligit, atque docet rectos insistere calles;
Commouet exemplo cunctorum nobile corda;
Nam seu delapsus cæcis Vulcanus habenis
Sæuiat, aut missus tectis exæstuet ignis,
Igneaque excelsas deturbent fulmina turres,
Conuolat ad sacras Mariæ Virginis ædes;
Et prona ad sacros Thomæ procumbere postes
Assolet, & templum lacrymis, & frigida saxa
Flumine ab irriguo madidans tepefacta rigare,
Mariæque repetere clarà numina voce
Pectore de medio Diuosque, Deasque precari.
Tempus erit, metri exorsi iam fila resumam.
Aera crepant; Tristi populos Mons omine terret,
Euomit, & tellus flammas, mons Vesbius, vnde
Sæpè olim flagrans cineres difflauit ad Afros,
Et Thraces vsque, & lapidum pluit igne, procellis.
Interdum quatitur, arctisque erumpere claustris
Nititur excussis ventos, excindit & ædes
Innumeras, spirat vim tetro à viscere diram
Sulfuris, omnigenos ab hiatu, orcique labores,
Eumenidas, stygias, Hydras, Scyllasque, Chimæram;
Nubila fusca, imbres, nimbos, & fulmina vibrat.
Vel cæcis immissa vijs, specubusque profundis,
Aut vtero tandem concepta furoris ab astris

Visitatio hospitalis frequenter facta à Cusmana.

Rosarij recitatio facta à Cusmana in Ecclesia s. Dominici

Mõtis Vesseui cinis ad Thraces delatus.

Causa vaporis excitati in Vesseuo à quo.

Semine suscepto; erumpunt è montibus amnes.
Insiliunt acies ventorum murmure circum,
Hic Notus, atq; Eurus, Boreas simul Africus acres,
Collisique fremunt, trudunt dum viribus æquis,
Concutiunt terras, iactatum sæpè profundum
Extollunt summo cœlo, fluctusque tumentes.
Vt mox tempestate ruant à culmine cuncta
Oppida, tecta simul, populos quo glutit hiatu?
Subsilit interdum elatis, vel montibus ictu
Turbinis exciti, diuulsaque culmina transfert
Ab radice ima, vallesque cacumine complet
Illato montis, subter vel proterit vrbes
Immani oppressas tumulo, quo funere condit?
Inde aperit valles, vbi mons, surgebat ad astra.
Hæc populus cernit, cum tellus mugit, & æquor.

Dũ fit processio signa varia in mõte videntur.

Huc oculos vertunt cuncti, ancipitesque maligno
Horrificas metuunt portendi à sidere clades.
Nubificus largis effudit se imbribus aer.
Omnia vasta trahunt, segetes, & pinguia culta,
Et pecora, & syluas magnas, & saxa domorum,
Et nouus attonitos feriit formidine terror.
Formidant cuncti, gelidusque per ima recursat
Ossa timor; quid iusta Dei *desideret ira,*
Incerti, ac cælum votis, fletuq; fatigant;

Populi studiũ in hoc motu.

Gens sacco pro veste tegit squallentia membra,
Voce alij resona præcedunt ordine longo,
Ordine succedunt alij æquo, signa videntes

Populus Neap. in æde B. Mariæ Carmeli Montis Deũ orat

Vesseui montis. Carmeli templa precantes
Iam penetrant, precibusque pijs, manibusq; supinis,
Talia soluebant in mæstas labra loquelas.
Perfugium Deus omnipotens sis, vnica virtus
Nobis

Nobis, non obſcura inopum tutela, & Aſylum
Tàm miſeris gratum, quàm afflictis vndiq; tutum.
Te duce nulla mala, & nihil exhorrebimus atri,
Terra licet raucis minitetur hiatibus iram,
Præcipiteſque ruant medio ſub gurgite montes,
Grande procelloſis criſpetur fluctibus æquor,
Defendis cunctos, & dira minantibus adfers
Rebus opem, locus effugij cum non patet vllus,
Verte tuos ad nos oculos, ſaluabimur omnes
Turbati; cerne, vt coeunt in prælia venti
Cum fremitu, populos vexat furor vndiq; magnus
Intonat horrendum cœlo, compage ſoluta
Diſſilet & tellus. Pietas tua cælica nobis
Adſit, reſpice res tenues, miſerere precantum,
Oramus, probibe ſtygios è mœnibus ignes;
Nil niſi triſte vident mea lumina Conditor orbis
Eripe me, ſaluumque malis inſtantibus, vmbra
Protege celsà tuà, iuxta te ſumme Redemptor
Me poſitum ſtatue, & tunc inſidioſa poteſtas
Contra licet Veſſeuus atrox me pugnet inermem,
Ignis ab excelſo mirabilis irruat axe;
Ac flammis conſumat oues, populoſque perurat,
Et populos etiam iaculis configat acutis,
Vndique ventorum validus ruat impetus, ignis
Sæuiat inſolitus, furibunda procella per arua,
Omnia conuoluens, euertat funditus ædes.
Nos tamen à cunctis ſoluet tua dextra periclis,
Ac per amena, & boneſta loca, & loca tollet opima,
Summa vbi cunctorum floreſcit copia rerum.
Exurge ò Deus exurge, & nos protege ab omni

Murmure Vesseui, ærumnis nos exime tetris;
Hoc tua te pietas, hoc te clementia poscit;
Hoc Regina parens, & sponsa MARIA precatur,
Virgo potens nostros semper miserata pudores,
Viuificæ fragmenta Crucis, *Sanctique Beati,*
Mixtæ Virginibus nuptæ cum millibus orant.
IANVARIVS Martyr fortis, Patrij inclytus Asprenus,
Hocq; Thomas, Euphebius, Anastasius, atq;
Agnellus, Seuerus, sic Pascasius Abbas;
Hoc pia præterea Sabini Præsulis ossa,
Primani cineres, Firmani, atque ossa beata,
Quæ cuncta hac nostra sunt tempestate reperta
Iapygijs oris, quæ in sacra Virginis æde
Seruantur, pellant Vesseuo talia monte;
Baptistæ hoc digitus, tollentem crimina mundi
Agnum qui ostendit, sæuoque Herode perempti
Innocui Infantes, Loyola, & Borgia, Koska,
Hoc Xauerius, hoc Aloysius inclytus, hocque
Andreas clarus, Iacobi corpora Diui,
Suppliciter populus quæ duxerat obuia monti;
Quidquid nunc spirat, quidquid super æthera viuit.
Hoc gentes genibus flexis, tentisque lacertis
Exorant, iterantque preces, spissaq; MARIAM
Voce vocant, Nati vt præsentem dissipet iram.

Populus orat omnes Diuos tutelares, & qui sunt in SS. Annunciationis æde, & alios Sanctos.

Nos noli damnare, precor, bone Conditor orbis;
Sed causam nos sancte doce, cur sæuiat ira,
Et furor iste tuus nos conterat? an ne videtur
Quòd tibi conueniat, quòd nos damnaueris astu?
Si coneris opus manuum nos iuste tuarum
Opprimere? atque iuues operà crudele malorum
Consilium, nulloque habitum virtutis amore?

Artifex, Diuæque tuæ, Pater optime rerum
Nos fecere manus, (circum ſæpitur vt hortus)
Plaſmarunt noſtrum ſolidà compagine corpus,
Et ſic præcipitas nos tanquam à vertice lapſos
Clade repentinà? Rex ò æterne memento,
Quòd luteum veluti vas nos confinxeris, & quòd
Pulueris in ſordes iterum poſt fata reduces.
Non ſum animi dubius, quod noueris omnia, quòdq;
Sis memor omnipotens horum fidiſſimus. Ergo
Si tibi peccaui ſons, & tua numina læſi,
Tu noſtris precibus merito placatus ad horam,
Indulges veniam culpæ, noxamque remittis.

Deus ad horam parcit pœnitenti.

Cur mea ſublatis aboleri crimina pœnis
Non ſinis? atque meos pateris ceſſare timores?
Plurimus ipſe tuus furor in nos ſæuit, & ira.
Quid tua nos virtus grauidæ genitricis ab aluo
Elicuit? miſeris quid lucem haurire dediſti?
Nonne foret ſatius medio decedere partu?
Tu qui nullius ſpernis ſuſpiria, noſtras
Sume preces, oro, humana qui carne teguntur
Ad te cum lacrymis veniunt, cum thuris acerra.
Noſtra adeo innumera, atq; immania cernimus eſſe
Crimina, ſed tua nunc bonitas delicta piabit.
Ad te gens hominum certatim confluit ecce.
Reiectos, Deus, exitio nos mente dediſti
Iratà. vultus iterum conuerte ſerenos,
Pacatuſque redi, nec addas vulnera plagis,
Nec quatias montem laxis compagibus altum,
Nec pandas vaſtos magnę telluris hiatus,
Sed modo fac laceræ concreſcant viſcera terræ
Rurſus, & emoto nutantem cardine molem

Instaura, fer opem populo, q̃em pascis amore,
Ne prædę sit montibus. Audi nos Deus aure
Grata, & presenti redimat tua murmure dextra.

Deus respõdet placatus Vrbi Neapolis.

Sacrato ex adyto Deus ecce oracula prompsit.
Vera, quibus populus felix lętabitur omnis,
Et dabit haud dubiè positâ placabilis irâ
Signa secunda; pijs dabit omnia prospera, leges
Qui Diuas, *& sacra colent, errore relicto;*
Nec sterilescet ager tristi rubigine, messes
Area magna teret, varios Autumnus honores
Reddet, Non tumidis feruent vexata procellis
Aequora, nec gelidâ riget horrida terra pruinâ,
Vernat ager, florescit humus gemmantibus herbis,
Et Rosa purpureo rorans vestitur amictu,
Et placidis volucres concentibus aëra mulcent.
Cuncta beat ridens vultu natura benigno;

Deus cuncta prospera pollicetur. Pop. Neap.

Ornatique suis procedent frugibus anni.
Gens plausum ingeminant, & cantibus aëra cõplent
Mellifluos fructus ducent pomaria montes;
Mollia securę hic peragent solatia gentes,
Fructiferos addent hortos, Mirtosq; Hyacinthos.
Magna Ducum *pars hic depicta palatia condet:*
Optatis cumulata bonis gens pace fruetur.
Hinc pecori facient verni fęnilia soles:
Hinc ager humanas mensas alitorius implet;
Hinc segetes venient campis, hinc collibus vuę;
Hinc tenues vmbrat radix oleagina cliuos.
Scilicet vt vires homini seges afferat, hortus
Pinguis olus, curas vindemia lęta relegat:
Aëreo mœrens facies hilaretur oliuo.
Tempore cuncta suo spera me alimenta daturum.

D. Io.

D. IO. PETRI MASSARII V.I.D.

Gratiarum actio pro recepto beneficio

DEO LIBERATORI.

QVI superas colitis cœlorum in culmine sedes
In Domini laudes ornatum carmen heriles
Pangite, qui nutus eius, vocemq; parati
Obsequio, accensi seruatis, & agmina cœli
Cuncta Deum celebrate, quibus perspecta voluntas
Illius, & famuli completis iussa fideles.
O quicumque orbem colitis date cantica summę
Lętitię Auctori, sacra cuius in aęra nomen
Tollite, & hymnidicū, quo est dignus, promite carmē
Et vos Artificem res collaudate creatę,
Et grates agitę ò genies, cantusque referte
Ingentes, resonetq; Deum vox resona eundem.
Is populos sæuo nostros reuocauit ab igne,
Firmauit terram, montem virtute potenti,
Pinguescunt nemora, arrident iam germine montes,
Lętitię accincti referunt gaudendo triumphos,
Vellere tàm niueo, viridi quàm gramine caulas,
Atque greges ouium velant quoque pascua, colles
Triticeà flauescunt messe, & cantica promunt.
Nec totis Vesseuus nixus viribus in nos
Irruit, & viuos auidà nos fauce vorauit.
Nec feruet Vesseui truces ignis in iras
Indomitus, nec ęquoreę nos impetus vndę
Vertice desorbet rapido, torrentis & instar
Vis tumidi rapuit fluctus, nostrosque procellæ

Excitantur spiritus Beati ad Deo reddendas gratias.

Mundi incolæ.

Creata quæque.

Ob firmatā terram.

Ob concessam terræ viriditatem.

Ob cessatā indomitis ignis conflagrationē.

Gur-

Gurgite non mergunt populos, sed laudis honores
Debentur Domino, qui prędam montibus asperis
Nos non esse dedit, depressit Vesbius ignes,
Surgentes tenebras, cineres, incendia, & vndas,
Vrbs Neapolis excitatur ad gratias agēdas. D. O. M.
Mirum exhalantem summò de vertice fumum.
Cantica Sirenis Domino date fausta Coloni,
Aeternum cantate Deum, nec gloria maior
Vlla sit, æterni quàm numinis vsque vacate
Laudibus, & tales depromite pectore voces.
Maiestas e[illegible]a Dei mihi nota potentis,
Attollitque Deos supra caput arduus omnes,
Ipse suo regit arbitrio, quod continet æther
Circuitu, quod terra sinu complectitur amplo,
Quidquid & æquoreis respirat, & innatat vndis,
Quidquid & immensa natura voragine celat
Telluris, vastique maris, memor ille salutis
Tempore difficili nostræ fuit, arte tuetur,
Collapsos attollit humo, rectumque colentes
Diligit, à quouis tutos discrimine seruat.
Diuo Ianuario, & alijs Sanctis Protectoribus.
IANVARIOQ; Thomæ sic magnas perfice laudes
Aspremo, Agnello, Loyolæ, & omnibus illis
Proplite submisso, quos iam numerauimus ante.
Nam licet emoto nutaret cardine tellus,
Conuulsique suis montes radicibus æquor
In medium ruerent, scopulisque cacumina salsis
Miscerent collisa vadis, superauimus omnem
Fortunam. Dominas manibus Regnator habenas
Sumpsit, & augusto se maiestatis amictu
Induit, & valido circum se robore cinxit
Firmauitque suis stabiles compagibus oras
Vesseui, & populos soluit tua dextra periclis.

Hinc

Hinc tua collaudant populi pia numina voce
Tàm resonà, quàm animo concordi, & te super astra
Solemni attollit pompà plebs tota per vrbem;
Sicq; tibi reddit dignas pro munere grates.
Gratia summa tibi cunctorum ò causa bonorum
BONCOMPAGNI Adam sobolem mortalibus ægris
Fecisti nasci, motus pietate supernà,
Cui curas NEAPLIS te committente perennis,
Tartareus non ille queat dispergere Latro,
In cœco regno rabidas [illegible] fauces.

Gratias agit Deo quòd Card. Boncōpagnum Neap. miserit.

Gratia sūma tibi Auellinæ BARTHOLOMAEVM
IVSTINIANVM Pastorem commiseris Vrbi,
Iustitia insignem, clarum natalibus amplis,
Religione sacrum, sanctà pietate verendum,
Ipse gregem largè pascit, nutritq; sacrato
Rore docens cœli latè præcepta beati,
Quò bene sydereas possit conscendere sedes,
Sicq; gregi auxilium præbet, affertq; salutem.
Sæua sibi nunquam poterit fortuna nocere
Deceptrix hominum, & si quidlibet illa molesti
Assolet vt semper mortalibus inuida rebus
Infert, illius rescindet tela, manusque
Omnia consilio, cum preditus indole mentis
Sit acri, vincet, extabit ad omnia fortis,
Aequore non secus Aegeo Marpesia cautes.
Et sibi, ni inuideat violenta potentia fati
Purpureo incedet redimitus tempora serto
Ob merita haud parua, & fiā non vanus Aruspex

Gratias reddit Deo ob missum Pastorem Barthol. Iustinianum ad vrbē Auellinen.

Gratia sūma tibi, ZVNICAE qui cernere gēti
Optatam hanc mundi lucem, Deus alme, dedisti,
Diligit & Regni gentem, sic vsque tuetur;

Reddit Deō gratias ob gentem Zunicam orbi datam.

Illius

Illius vt causa haud dubitet diffundere vitam;
Vnde ipsi maior succrescit gloria, partes
Fama per extremas orbis velocior alas
Commouet, egregium sublimia ad æthera tollens
EMANVEL ZVNICI Nomẽ, patriãq; genusq;

Honores exhibiti Proregi Zunico in Vigilia S. Ioannis Baptistæ à Populo Neapolit.

Vrbs vaga Parthenope pulcherrima pẽdet ab ore
Ipsa tuo, fitq: Hibla rosis, fitq; India gemmis,
Argos equis, opibus Rhodus, cerealis Eleusis
Frugibus, auleis Babylon, ficto ęre Corinthus,
Eurotas auibus, muscoso margine Epirus,
Quin sese tradit totam, quin deuouet omnem
Se ZVNICO, gestitq; omnis lætatur vbique,
Visendique ruunt studio per compita Ciues,
Fęmineusque globus tectis miratur ab altis
Hesperium cupidus ZVNICVM, nã digna videri
Maiestas, faciesque almo candore refulgens.
Nec vaga sidereo satiantur lumina vultu;
Hinc vrbem vario florum densissima nimbo
Tempestas operit; clara dum laude triumphi;
Praecedit late militum manus omnis, & ingens
Post equitum globus varius per compita vbiq;
Ast varijs alij cristis, auroque corusci.
Post oẽs ZVNICVS Princeps pulcherrimus Heros
Acri vectus equo, praecellens altior illis
Eminet, atque oculis regalem spargit honorem,
Vt solis specimen Phœbæ praecessit, & astris,
Post alij longo succedunt ordine Ciues,
Atque viri fortes adsunt, & serica mollis
Aura super longas bicoloria ventilat hastas.
Concaua è summis sonitum dant arcibus æra.
Sic ZVNICO cuncti læto plausere triumpho.

Praie-

Præibat clarus gestis ANTONIVS altis
ANGELICVS varijs donis, studijsq; Mineruæ,
ELECTVS Populi prudens, virtute decorus,
Vectus equo, ZVNICO spectacula monstrat eunti;
Compita quæ circum Populi posuere fideles.
Hic est ANTONIVS, cunctas qui Palladis artes
Agnouit doctus, doctum sapientia pectus
Ornauit, patuitque illi quid Græcia dixit;
Quid Sparta eloquio insignis; quid Dardana tellus.
Adde etiam legum se immensa volumina dextrà
Tractasse intrepida, quicquid mens sancta Licurgi
Quicquid Pompilij, quicquid Solonis apertis
Insculpsit tabulis, didicisse, & pectore totum
Insculsisse suo, & simul agnouisse, quid omni
Sit dignum imperio, quicquid Præside, & Vrbe.
Namque sibi primum nascenti risit Apollo
Fatidicus, Castum Cypris spirauit amorem,
Ipsa Iouis coniux altos promisit honores
Regia, post omnes Pallas donauit & artes.
Viue igitur felix felici sidere nate,
Omnia felici tradet tibi sidere cœlum.

Antonius de Angelis I.V.D. Pop Neap. Electus laudatur.

Quas tibi condignas persoluere debeo grates
Summe PATER; sacro iungis, qui fœdere lecti
Fæmineam sobolem, pariter prolemque virilem:
Vt genus humanum, de quo tibi sumere carnem
Complacuit caram, passim per secla propagans,
Empyrea tandem felici sede locares.
Firmauit depacta prius sponsalia CAESAR
Heros BONONIVS, quoq; CLAVDIA clara CARA
Nectit amore fides concordi fœdere amãtes. (FA.
Dum circumflexo vitis noua serpit in vlmum

Reddit Deo gratias ob liberatos Cæsarem Bononiũ, & Claudiam Carafam ab incẽdio mõtis, licet eorum domus sub radice montis sita paruum dãnum passa sit.

Pal-

Palmite, dum truncos hedera ambitiosa tenaci
Circuit amplexu, dum murmurat ore columba,
Et decerpta sonant mordentibus oscula rostris.
Franciscus, Carolus, Marcellus sanguine nati,
Sanguine tàm claro tanta & pietate nitentes
Egregiam gignent sobolem, quæ deinde per æuum
Laudetur, vigeat, viuat, dominetur, ametur
Prouida, quæ fati rescindet tela, manusque
Omnia consilio, refluetque reciproca Tethys,
BONONIVS splẽdor, decus immortale per orbem
Aeternùm viuet, serosq; excurret in annos.
Nam Deus eripuit genti, quæ numinis iram
Asperat, & sæui protexit murmure montis

Franciscus Carafa, & Maria Macedonia laudantur ob magnas virtutes ab incendio mõtis liberati, nec domus sub montis radice posita diruta fuit, nec rus damnum passum.

O mihi si doctus tribuisset carmina Phœbus
Mœonia, efferrẽ FRANCISCVM ad sidera cęli
CARAFIVM, vxorẽq; MARIAM nomine clarã
Stirpe MACEDONIA antiqua, virtute beata
Sidus honestatis, felicibus edita stellis.
Non te FRANCISCVM celebro, Pythona sagittis
Te strauisse ferum, non te Iouis esse superbam
Progeniem referam, maior tibi gloria, maior
Splendor adest, variam nã si mihi voluere Auorum
Contingat seriem, cœlum en mihi sidere pictum
Multiplici, en video fulgenti lumine vbique
Tyndaridas alios; alios en vndique Martes
Attamen his cunctis sol tu magè lucidus ardes,
Splendoremque auges cunctis splendoribus aureis,
Dum te conspiciunt omnes virtute nitentem.
Hinc validas Montis furias, incendia vitas
Contulit ecce Deus vitalia robora cordis.

FINIS.

All'Ill.mo & Eccell.mo Signore
IL SIGNOR
D. GASPAR DE GVSMAN
CONTE D'OLIVARES,
DVCA DI SAN LVCAR IL MAGGIORE,
MARCHESE DI LICE,

Alcaide perpetuo delle Case Reali della Città di Siuiglia, Signor della Contrada, che dicono del Conte in Siuiglia, Signor delle Gabelle delle Cinque Ville della Riuiera del Fiume Guadalquiuir, del Consiglio di Stato, e di Guerra di Sua Maestà, Gentilhuomo della sua Camera, e suo Cauallerizzo Maggiore, Commendator Maggiore d'Alcantara, Cancellier Maggiore dell'Indie, e Capitan Generale della Caualleria di Spagna.

TRa' tanti, che sin qui hanno non meno erudita, che dottamente scritto dell' Incendio del quì vicino Monte VESVVIO, in cui par, che la gran madre Natura habbia aperto il chiuso scrigno delle più ascose sue marauiglie, da farne non

dico ſtupire, ma diuenir pazzo ogni humano intendimento; hò voluto anch'io, Eccellentiſſimo Principe, benche di nullo pregio à petto á loro mi ſia, rozamente queſte poche carte vergarne; ſolo per hauer quindi occaſione di paleſare al mondo, col dedicarle, e preſentarle ch'io fò à V.E. cō l'humiltá, che poſſo, e debbo maggiore, l'ardēte deſiderio, che in me di mai ſempre riuerirla nacque ſin da quel tēpo, ch'ella ne' ſuoi anni più verdi, ſtandoſene quì con l'Eccellentiſſimo Sig. Conte de Oliuares Vicere di queſto Regno ſuo Padre d'immortal memoria, così viuaci, & apparenti diede i ſegnali di farſi con le rare doti del ſuo generoſo, e magnanimo petto la ſtrada à quell'alto grado di gratia, che V.E. così douutamēte hora gode appreſſo la Real grandezza della più gran Maeſtà, c'hoggidì viua in terra, com'è quella del Re Noſtro Signore; dell'ampio cielo della cui gran Mo-

narchia V.E. sì forte, e degno Atlante gloriosamente si mostra. Gradiscale, Signore Eccellentissimo, con lieto volto, nõ pure per honorar me, che à sì gran personaggio hò voluto etiandio appoggiarle per procacciar loro con sì alto mezo quella stima, che per se stesse non meritano; ma in oltre perche elleno le heroiche, e christianissime attioni contengono, che nella occasione di cotale Incendio hà con infinita sua laude operate l'Eccellentissimo Signor Conte di Monterey, à V.E. così strettamente in doppio parentado congiunto, auuegnache in picciola parte, & assai male state egli sieno da me col mio basso stile spiegate. Mentre in tanto inchinandomele riuerentemente, le priego da chi può dargliela, lunghissima, e tranquillissima vita. Di Napoli à 2. di Giugno 1632.

Di V. E.

humilissimo, e diuotissimo creato

Giambernardino Giuliani.

Ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. Dominum

D. GASPAREM GVSMANVM
OLIVARENSIVM COMITEM.

Hieronymus Genuinus Iuriſconſultus Neapolitanus.

VESBIVS æterna ſatagens reuireſcere fama
Flammarum aſſiduas aglomerauit opes:
Vt ceu Solis auis ſenior iuueneſcere poſſit
Iam rogus exardens factus & ipſe ſibi.
Aſt GVSMANE tuo decoratus nomine poſthac
Laude hic ſemper erit perpetuò viridis.
Parthenope haud rurſus timeat flagrare Veſeuum
Nominis haud deinceps ambitioſus erit.

Eiuſdem GENVINI.

Ioannes Bernardinus Iulianus Neapolitanus.
Anagramma purum.
En vnus, en notus dilapſi Vesbij annalia narro.

En vnus notus dilapſi annalia narro
En *oculatus teſtis* Vesbij.
Hunc ſcribens faciam æternum mox nomine Montem;
Hunc cecidiſſe iuuat dici poteſt.

D.PETRI GRIMALDI V.I.D. Curati S.Mariæ Maioris in Authoris laudem.

Exaſticon.

ANnorum ſerie peraget ſua fata VESEVVS
Atq; ſuos tandem finiet igne dies.
Secla BERARDINVS celeri vertigine volui
Dum videt, & rapido præcipitare gradu.
Tempore ne pereat famoſi gloria Montis
Conſuluit calamo; gloria non moritur.

In

IN D. BERNARDINVM IVLIANVM
Fideliſs. Pop. Nea . à Secretis .
De Montis Veſeui eructatione ſcribentem
D. IO. PETRI MASSARII Oratinenſis,
& Neap. Ciuis V. I. D.

Epigramma .

QVi cupit afflictam flammis terraq; , mariq;
Crinibus abſciſſis cernere Parthenopen ,
Sireneſq; alias flentes , Nymphaſq; per oras
Veſeui pulſas patria flere loca .
Occluſumq; antro diſrupta , & funditus vrna
Iam Montem lacrymis ora rigare nouis .
Vndanteſq; tueri agros , mare feruere vbique ;
Horriſono viridem rura replere ſono . rura
Aggeſtis cumulata pericula cernere damnis ,
Sulphureo campos imbre natare bonos .
Exangues homines , eliſaue corpora paſſim .
(Nam negat hoſpitium terra cadaueribus)
Et pariter lauros , myrtos , & citrea rura
(Proh facinus) poſitis collacrymare comis .
Veſeui erectas flammas, vaſtaſq; procellas ,
Immanes fluctus , & ſine Sole dies .
Regibus & Muſis fontes , & prædia ſacra ,
Diruta Veſeuo quæq; iacere ſolo .
Cladem ferre Elementa (pius Deus exerit iras ,
Cunctorum plantas coxit , ad ima trahens .
Sic Iuuenes ſæuis glomerantibus, vndiq; flammis
Combuſſit fortes non ſine ſtrage Patrum .)
Tartara in exitium iurata reſurgere contra
Mortales miſeros , nec iuuat ara Dei.
Hæc BERNARDINI IVLIANI ſcripta relegat ,
Quæ dedit , vt volitent docta per ora virum .

BER-

BERNARDINE igitur viues per saxa, procellas,
Fulgura Veseui, flumina, signa, neces,
Dum Sol, dum Luna irrutilat, dum cuncta per æuum
Secula diffluitans, te celebrabit homo.
Sic ab vtroq; mari dominaberis vsq; in Eoas
Occiduasq; plagas protrahis ingenium.
Quotquot enim celsis sederunt numina cœlis,
In vultu resident, o IVLIANE, tuo.
Fronte patet Genius, geminis Amor ortus ocellis;
Ex arcu torta cuspide colla ferit.
Purpureas Cythærea genas, & Flora colorat;
Iuno supercilijs emicat ipsa tuis.
In crispis radiat formosus Apollo capillis:
Tornato mento Phœbus Ephebus ouans.
Inter eburna vagam iucundi septa palati
Facundus linguam voluit in ore Deus.
Panchæos Zephyrus de pectore spirat odores;
Et dulci flatu florea labra quatit.
Incessum, totumq; virum, formamq; decoram
Occupat, & propria Iuppiter arte regit.
In te ita pro pomo contendunt Iuno, Venusq;
Quod retulit docili Pallas in ingenio.
Amplius haud Siren boream, sæuasq; procellas
Formidat. nam tu flamina dira fugas.
Flamina voce fugas blanda, totusq; Senatus,
Docta ora vt soluis, pendet ab ore tuo.
Nempè tibi ingenium velox, & copia fandi
Larga est, atq; tuo nectar ab ore fluit.
Sis felix igitur, longæui & Nestoris annos
Viuas, & tandem cælica regna petas.

D. FRANCISCI ANTONII MONFORTE.

FLumina, Saxa, Ignes, Cineres, & cuncta Veseui
En IVLIANI vnicum quambenè tractat Opus.

DEL

DEL SIGNOR ANDREA SANTAMARIA.

All'Autore.

GLoria nel foco Alcide a trouar venne
Sceuro già del suo vecchio, e terren frale;
Sorge dal rogo ardente, e trionfale
L'augel Sabeo, se quiui arde le penne.
VESEVO ancor, se d'arder pria s'astenne,
Ecco or d'ardir, qual pien d'ardor n'assale;
Ma il fosco del tuo'nchiostro a illustrar vale
Tai fiamme, ond'altri morte, e orror sostenne.
Così ne' Monti il Giano, anzi Fenice
Arse pria ne' suoi sassi, or ne' tuoi fogli,
E morte là, qui vita auer gli lice.
Così mentre il su ardor spiegar t'inuogli,
Perde egli in te la rea natura vltrice;
Tal'ardon gli astri in sù gli empirei sogli.

DEL SIGNOR ANTONIO BASSO.

Allo stesso Autore.

VESVVIO, che de l'aria entro il sentiero
Emulo di Parnaso ergea le cime;
Quasi Acheloo nel suo duello altero,
D'vn corno scemo hor l'ampia fronte opprime.
Et oue hauea de' Monti il pregio intero,
Hor serba il nome a pena, ahi, di sublime;
Oue Libero hauea libero impero,
Hor vien, che di Pluton Reggia s'estime.
Ma se Vulcan l'estinse, a vita il chiama
Per te saggio Scrittor di Palla hor l'arte,
E fai l'atra sua fiamma aurea sua fama.
S'ei con lingua di foco a noi sue sparte
Viscere espresse; i suoi gran vanti esclama
Con fauella d'inchiostro hoggi in tue Carte.

DEL

DEL SIGNOR ORATIO COMITE.

Arda pur, e si spiani hoggi il VESEVO,
Ne se n'affligga impouerito il Mondo;
Ch'à più chiara stagione, a più lungo Euo,
Più ricco, e più giocondo,
Di glorie illustri, e conte
S'erge per te gran GIVLIANI vn Monte:
E quanto quel più cade,
Tanto più questi al Cielo alza le strade,
E in cima hà sempre pronte
L'Edre, e l'Oliue a cingerti la fronte.

DEL SIGNOR ANDREA SANTAMARIA.

Il Vesuuio ardente n'ammaestra al ben fare.

NE la scola de' Monti o alpestre core
Impara esser con Dio men aspro, e duro;
Ed or che sei di viuer men sicuro
Disponti a vita, che giamai non more.
Ecco incende VESVVIO, e del su'ardore
Materia è'l viuer tuo maluaggio, e impuro;
Vienne, ch'a l'ombra di quel fumo oscuro
Legger puoi bene ogni tuo folle errore.
Questi atterrir, quegli atterrar s'ingegna,
E perche tarda à castigarti il Cielo,
Nouo Tifeo, ver lui s'adira, e sdegna.
Scopre l'Inferno allor che d'atro velo
Ricopre il Ciel; così a ben far s'insegna
Sol con lingua di foco vn cor di gelo.

TRAT-